



Streiherr v. Ende-Siljessnitz.

25.
37.
14.

Consensu Inclytæ Facultatis Philosophicæ,

: ACADEMIA PATRIA,
DISSERTATIONEM .

De
**SCRIPTORUM
CICERONIS
LECTIONE,
PRO LOCO**

In eadem Facultate obtinendo,
Priori vice

P.P.

**M. GEORGIUS HENRICUS
GOEZIUS,**
S.S. Theolog. Baccal.

Ad d. XXVII. Mart. A. M. DC. LXXXIX.

LIPSIÆ,
Typis CHRISTOPHORI FLEISCHERI.

Magnifico ablongo
J. G. C. Heros
Padua

Heroi Illustri & Generoso,

DOMINO

DN. JOHANNI CASPARI
à *Röß/*

Sereniss. Electori Saxon. & Celsissimo Duci VVeissenfelsensi
à Consiliis Intimis, Consistorii Sacri, qvod Leucopetræ est, Præsi-
di eminentissimo, & Ducatus Qverfurthensis Supremo
Capitaneo splendidissimo,

Domino & Mecenati suo valde Gratioſo,
&

Maximè Reverendis, Amplissimis atq; Excellentissimis,
DOMINIS,

DN. CHRISTOPHORO
SCHRADERO,

Theologo famigeratissimo, Potentiss. Elect. Brandenb. à Con-
siliis Ecclesiasticis, & Ecclesia Cathedralis, qvæ Halæ est,
Doctori longè venerando,


DN. JOHANNI Schieferdecker/

Theologo clarissimo, & Cels. Duci VVeissenfelsensi à Consiliis
Ecclesiasticis, Leucopetrensis Ecclesia Pastori, ac vicinarum
Superintendenti vigilantissimo, & Illustris Augustei
Professori Publico meritissimo,

*Dominis, Patronis, Fautoribus, ac Promotoribus, summo
honoris cultu devenerandis,*

Theses hæc Academicas,

*In devotio obsequii documentum sacras, esse cupit
AUTOR.*



§. I.

Duo sunt, ac deprehenduntur, quæ nobilem illam dicendi artem impugnant hodie, & suspectam reddunt, contemptus videlicet negligens, ac protervus insimul abusus. Hic enim est, qui Eloqventiæ, quæ puram olim habuimus, & integrum, fœdissimè agit causam, honestasq; præcipue res negligit, quibus naturâ videtur apta. Multi jam inveniuntur, qui Eloqventiæ superbire volunt titulo, atque ea sibi vendicant, quæ dedecori ipsis futura sunt magis, quam ornamento: Si enim vel in sacrâ, quam moderantur, cathedrâ, vel in foro, cui adsveti sunt, verba instituunt facere, aliorumque perorare causam, tam iniqvè se gerunt haud raro, ut Eloqventiæ inferant vim, ac detrimentum. (a) In-

A 2 exces-

(a) Clarius loquor, & mente concepta profero: Dantur vide-
licet nonnunquam Oratores, ut vocantur, Ecclesiastici, qui
res sacras meritis locutionibus Rheticis efferunt, sibique per-
suadent, conciones istas vix auditu existere dignas, quæ non
phaleris ejusmodi ornarentur; Alii vel schemata, vel allego-
rias, illatas puta, afferunt, quæ à rectâ rationis indole recedunt,
nec jure tolerari possunt. Exempla vitiosorum hominum af-
ferre nolo, quæ in Doctoribus non minus Pontificiis, plus ni-
mio peccantibus, quam, ut ingenuè fatendum, in nostris, ob-
servamus alias, & notamus. Hoc verò vitio ipsis vero, cum
auditores, quorum bono verbum Dei docere debent, & purè
exponere, plebeji præcipue, qui non tam subactum habent ju-
dicum, quam quod requiritur, concessionem non intelligant,
eius-

cessu hi peccant, dum Oratoriā facultate malè utuntur:
Ast in defectu peccantes liceat notare illos, qui omnem
negligunt, & contemnunt eloquentiam, nec addiscere
eandem desiderant. Duæ verò potissimum res in causa
sunt, cur eloquentia, quæ apud Græcos & Romanos altius
extulit caput, omnesq; vires, qvibus pollet, exerere visa est,
apud nos minimum valeat. *Ipsius videlicet artis difficul-*
tas,

eiusque dicta cognoscere & percipere valeant. Aures mul-
cent hominum, quæ plerumque delicatae sunt, & titillant sen-
sus, nihil verò aut parum juvant animas. Equidem me non
latet, ipsum Christum olim, Apostolos, & Doctores primiti-
væ Ecclesiæ, prout una eademque, ac nostra est, concionandi
methodo usi sunt, quod eleganter & copiosè à Magnif. Dn.
D. Jo. Ben. Carpzovio, in dissert. Theol. ad Tit. I. 9. *Lips.* 1688.
editâ, p. 33. sqq. ostensum est, ita pari ratione coluisse patho-
logiam, ac in tradendis fidei dogmatibus oratorias adhibuisse
locutiones. Nec ignotum est, peritissimos illos, quos Patria
habet & suspicit lectissima, artis Concionatoriæ Viros, com-
mendare illud vel maximè, & luculento omnibus prælucere ex-
emplo, ut affectus movere discant, & dum sacra tradunt ar-
gumenta, elegantibus verbis, ac dignis admiratione, moderatè
tamen & prudenter, utantur. Admittunt usum, & laudant,
haud ignari, Oratoris Ecclesiastici & Civilis institui posse con-
venientiam, teste Cl. Dn. *G. C. Kirchmayero* in pec. diatr. de
Oratore Civili & Ecclesiastico, *Witeb.* 1686. sed abusum impu-
gnant ac detestantur. Vid. B. D. *Jo. Ben. Carpzovius* in *Hode-
getico* aph. 9. p. 13. & Dn. *L. Til. Andr. Rivinus* in *überiori Ex-
planatione Hodegetici Carpzoviani* p. 86. sq. Benè ergò, si o-
mnia rectè considerentur, *Rol. Maresius* in *Epiſt. philol.* p. 482.
scripsit: *In sacris concionibus, in quibus sublimia nostræ re-
ligionis mysteria declarantur, aut populus à vitiis deterretur,
& ad sanctitatem morum seſtandam accenditur, nescio quomo-
do subputidum videtur, & minus conveniens eloquentiam af-
fectare:*

tas, verba Rolandi Maresii (β) sunt, quæ tot artes suo ambitu complectitur, ac status ille rerum nostrarum, in quo sub principatu maxima quæque negotia à prudentibus administrantur, longum valere jussis eloquentibus: Quorum alterum nos à conatu bene dicendi deterret; alterum facit, ut ne quidem conari velimus, in eo maximè, cuius nullum, vel leve admodum operæ pretium futurum sit. Hæc vitia prævalida sunt, & adulta, in quæ delabitur nemo, qui flexanimæ istius incredibili exardet amore, nec ullis laboribus ab officio deterretur. Neminem, ait Seneca, (γ) excelsi ingenii virum humilia delectant, & sordida: Magnarum rerum species ad se vocat, & extollit. Dignum itaque laude est institutum eorum, qui Eloquentiæ amant studium, inquit; illud studiosè dant operam. Ast, quo præsidiis instructi sint, & habeant

A 3 au-

fectare: cum in iis simplex & facilis oratio, modo sit gravis, cum integritate concionantis conjuncta, magis ad animos hominum commovendos valeat, quam ulla ars aut facultas dicendi: Unde etiam apud Græcos ομιλιῶν nomen retinent, quod sint quasi familiares cum populo collocutiones. Legum interpres prætereo lubens, & qui causidici esse volunt; hi enim, observante Amplissimo Casp. Zieglero in Comment. de arte Rabulistica, eò progrediuntur insanæ, ut garrulitatis nomine eloquentes esse desiderent: Sed hoc nequitiae ipsorum tribuo, de qua boni hactenus omnes vehementer sunt questi. Et universos dum complector, jure in eos animadverto, qui arte dicendi, persuadendique, abutuntur, & garrulitatem procreant, genuinam verò eloquentiam negligunt.

(ε) In Epist. Philol. p. 564. ac p. 480. sq. quæ eruditæ sunt, ac laudabili curâ Ampliss. Dn. L. Adami Recbenbergii non ita pri-
dem, Lipsiae & Francofurti 1687, recusæ, nec sine applausu, ut
Dan. Georgii Morhofi testimonio, in Polyhist. p. 275. sq, con-
stat, ab Eruditis exceptæ.

(γ) Epist. XXXIX. p. 591. ed. A. Schottie.

autores, qvos legant, ac imitentur, Ciceronem præ cæteris (δ) statuant ante oculos, ejusqve scripta, ut fas est, ac merentur, diligenter æstiment.

§. II. Magnum itaqve Ciceronis (ε) nomen est, dignumque admiratione, qvod eruditâ pariter doctrinâ, ac Munerum amplitudine acquisivit, & jure, magnâqve industriâ, defendit. Ad illud verò dum pervenit, memoria ejus o-
mnibus

(δ) Cum juventuti ad altiora, & veram contendenti sapientiam, ac bonos desideranti scriptores, multi commendandi sint Autores, è quibus lingvæ latínæ puritatem & venustatem haurire possit, præter Terentium, Plautum, Cornelium Nepotem, Aurelium Victorem, Svetonium, Julium Cæsarem, Ovidium, Horatii Epistolas, (quibus Titum Livium annumerarem, qui dignus ob id semper est habitus, verba Jac. Phil. Tomasini in Tito Livio Patavino, p. 25. edit. Amstel. 1670. mea facio, qui ad Romanæ historiae cognitionem, prudenteriamque civilem cum eloquentia comparandam, studiosis adolescentibus omnibus proponeretur,) à Jo. Henr. Baclero in dissert. de compar. lingua lat. facultate commemoratos, vel in primis Cicero proponendus est & sectandus. Ad stylum enim rectè formandum, inquit Jac. Focanus, in dissert. de ratione studiorum, p. 13. Cicero primus primas teneat, & teneat solus; hoc est, aliquamdiu non præcipius tantum, sed solus legatur: ut corpus illud, & contextus orationis primum seriò formetur uno quodam habitu, & æquabili sermonis filo. Nisi facis, hiulca semper, incomposita, & è variis varia quedam styli forma gignetur, nec satis sibi constans.

(ε) Prolixus esse nolo in annotandis iis, & perquisitiùs ac diligentiùs conscribendis, quæ Ciceronis vitam, Scripta, Editiones, ac Interpretes illustrare possunt, cum eleganter ac eruditè Vir celeberrimus, Dn. Caspar Sagittarius, in peculiari commentatione, Altenburgi 1671 editâ, hoc labore sit defunctus: Nec ingratum fore arbitror singulis, qui humanitatis colunt studia, si eadem, quâ hactenus conservavit, dexteritate, amplissimi nominis

Vir,

mnibus pergrata est, atque accepta, cum nullus fermè ha-
ctenus floruerit mortalium, qui vel superasset eum, vel
ipsius laudes tam promptè, quam exquisitè, retulisset.
Quod argumentum non immeritò universis egregium est,
ac necessarium, Ciceronem, quem omni literatura instru-
ctum norunt, (ζ) ut impensè ament, ac diligenter scripta
eius perlegant. In hujus siquidem lectione multum solici-
tè quærunt utilitatis, ac feliciter planè, & ex animi prorsus
sententia, inveniunt.

§. 3. Sed

Vir, Jo. Georgius Grævius, observationes suas, quæ doctissimæ
funt, & huc usq; promissæ, de *Interpretibus & Tullianis Editio-
nibus*, cum eruditis communicaret. Consulatur interim Jo.
Jac. Hoffmannus in *Lex. Univers.* T. I. p. 439, & in *Contin.* p. 449,
qui multa sicut lectu digna, ad Ciceronis historiam egregie
pertinentia.

(ζ) Si necessarium esset, & instituto inserviret meo, laudes Cice-
ronis decantarem, atq; encomia adducerem, quæ ipsi antiqui-
tas detulit; Ast exhibuit illa, & magno studio ex variis colle-
git autoribus Adamus Theodorus Siberus, Professor quondam
Wittebergensium doctissimus, Vol. II. *Dissertat. Academ.* à
nominato Sagittario l. c. p. 74 laudatus. Cui, alios ut omit-
tam, jungi potest Aug. Buebnerus in *dissert. Acad.* p. 525 sq. &
P. 2. Epist. Epistolâ 32, p. 115. Doctum eum fuisse & in omni
disciplina valdè versatum ipse Maresius l. c. p. 119 his verbis in-
dicat: *Huic nihil fuit intentatum, quig; cum omnia teneret, de
omnibus scribere in animum induxit.* Nec Jo. Schefferus dis-
sentit in libro suo utilissimo, de *Stylo*, illiusq; exercitiis p. 51 sq.
ita scribens: *Ad omnia Tullium idoneum existimamus: Nam
quod politica concernit, quid eis convenientius, orationibus,
maximè Philippicis ipsius? vel si genus spectes breve argumen-
tumq; epistolis ad Atticum?* Quod vero attinet *Scholaistica*,
nemo docet suavius, apertius, accuratius, quam iste in *Rhetori-
cis, Topicis præsertim, Lælio quoq; ac Catone.* Nemo disputat
subtilius, quam ille idem in *Quæstionibus Academicis de Finibus*.

(η) Ma-

g. III. Sed dum præclaram Ejus industriam laudare decrevi, ac erudita, quæ circumferuntur, atque indubie (n) ipsi tribuuntur, perpendere scripta, non injuria nostraras doleo vices, quod non tam perfectè omnia ejus monumenta ad nostras pervenerint manus, sed nonnulla, quæ ingenium redolebant, non sine detimento interierint. *Magna jactura, rectè & appositè Rolandus Maresius,* (9) Vir clarissimus, ait, facta est in tot eximiis antiquorum libris temporis injuria deperditis. Quod vel ex ipso Cicero ne potest intelligi, cuius de Republica libri interciderunt, inter illius opera præstantissimi, utpote ab homine scripti, qui non quidem, ut Plato reipublicæ expers, sed in ea per omnem vitam versatus fuerat. Ista verò, quæ hodie supersunt, ac omnia studiorum complectuntur genera, diligenter efflagitant lectionem, magnumque singulis pol-

(n) Magna de libris Rheticis ad Herennium scriptis, & sub Ciceronis nomine editis, est dubitatio, num Cicero eos confecerit, ac jure autor illorum dici mereatur. Malunt enim laudatus Sagittarius de Vitâ Ciceronis, p. 148, quicquid etiam Dionysius Gothofredus, qui Ciceronis opera Genevæ 1659 in lucem publicam emisit, & quæ editio, accurato Sagittarii l. c. p. 144 testimonio, suâ se commendat bonitate, afferat, & Gerb. Job. Vossius, in Institut. Orator. l. i. c. XI. p. 182, illos inter dubia Ciceronis referre scripta. Nec, quantum conjicio, argumentum illud, quod Vossius ex aliorum sententiâ ibidem adduxit, tanti valoris est, ut in eadem sim, permaneamq; sententiâ: præcipue cum me non lateat, Vossium magni ingenii & subacti judicii extitisse Virum, benèque de Scriptis Veterum dixisse. Laudandus enim est magnus Vossius, inquit Anton. Borremansius, in Vesperis Gorinchemensibus p. 113, aeternâq; famâ celebrandus, quod tam multa præstiterit; quod non omnia, aut in nonnullis cespitaverit, minimè vituperandus.

(9) In Epist. 36. p. 159.

(i) Verba

pollicentur fructum. Si Epistolas modò Ejus , quas ad Familiares , ad Atticum , ad Q. Fratrem , ad Brutum , tum civili sapientia (i) plenissimas , tum ad amissim genuina eloquentie factas , perscripsit , avidè assumam , atque eximum , quod in illis reperitur , dicendi genus considerem , ac diligenter contempler , omnes inde extemporalem facundiam cum Hermanno Buschior (x) nacturos esse , spero non magis , quam confido . His ergò perspectis optimo jure vehementer eas commendavit Daniel Georgius Morbosius , (λ) Polyhistor clarissimus , ac Eruditorum hodiè facile princeps . Maresium verò meum præterire nequeo , cujus judicium , quod de Ciceronis Epistolis satis ingenuè tulit , dignum mihi visum est , ut apponatur : (μ) Ciceronem , cujus scripta frequenter in manibus habere soleo , cùm in omnibus operibus , tum maxime in epistolis admiror : non ideo quod purè & latinè sint scriptæ : hoc enim illi perpetuum est , & cum sue etiam etatis hominibus communne : sed quod , cum plereque ex tempore , ut sit , ad amicos sint scriptæ , et tamen sunt elegantia , ut in eas aliquantum temporis impendisse videatur , sententiāq ; suam in iis , quæ præcipua scripti laus est , apertissimè ostendit , nihilq ; omittit , quo minus id , quod vult , planum fiat . Eo scilicet nomine has vel maxime prædicare sustinuit epistolas , ut lib . II , Epist . I . iterum testatus est , suamq ; magis adhuc confirmavit sententiam (ν) : Dicam breviter , illum (Ciceronem) in epistolis licet , ut vindetur non magna adhibitacura scriptis , sui similem semper ex-

B istere ,

(i) Verba sunt Dn . Morbosii in Polybist . p . 276 .

(x) Teste Jo . Freinsbemio in Orat . 4 . p . 46 .

(λ) In erudito Scripto , quod Polyhistorem vocat , & ab Eruditis hactenus , ut meretur , magnificis celebratum est Laudibus , p . 276 sqq .

(μ) in Epist . 19 , p . 80 .

(ν) p . 232 . l . c .

istere, hoc est, eloquentissimum: quarum que ad familiares inscribuntur, nihil magis cultæ & elaboratæ, si tamen in iis aliquantum elaboravit, videntur: nihilominus que ad Atticum sunt scriptæ magis me capiunt cum ob prudentiā politicā, quæ in illis ubiqꝫ spirat, tūm quod statum reipublicæ, qualis tum erat, describunt; ita ut, quemadmodum ait Corn. Nepos, qui eas legat, non multum illorum temporum historiam desideret. Omnidò hæc vera sunt, & incomparabilis prorsus in omnibus ejus libris invenitur eloquentia. Nam is, verba affero Jo. Henrici Bœcleri (o), quò dictis eò major constet veritas, sicut haud dubiè & citra omnem controversiam latine lingua & princeps est & magister incomparabilis; ita hoc habet singulare & eximum, quod in omni gradu & genere eloquentiæ excellit: sive rectam puramqꝫ venustatem, cum simplicitate junctam querimus, hic exemplum habemus: sive assurgentem in robustiora argumenti ususqꝫ indolem sequimur, Cicero præbit viam: sive in excelsa amplitudo & spiritus & majestas Oratoris attollitur, Tulliani oris gravitas in summo stabit. De Dialogis non loquar, qui supra omnem positi sunt laudem, nec commemorabo orationes, aut de officiis prædicabo libros, qui elegantes sunt, & aptè, & utiliter conscripti.

§. 4. Istis jam observatis omnis haud difficulter animadvertis, ejusmodi requiri ac desiderari lectores, quos nec benigna odit natura, nec ingenium destituit solers, sed amor commendat doctrinæ, & intentior afficit meditatio. Isti autem vel florent gente, aut sanguine illustres sint, & privilegium habeant ac prærogativam, vel medium

(o) In Dissert. de comparandâ linguae latinæ facultate p. 5, quæ cum Jo. Schefferi Scripto, quod de Stylo paravit, & supra commendatum, Jenæ 1678 typis publicis impressa est.

diocrem aut insinam prorsus ortus nacti sint sortem, cum literarum studium unumquemque horum deceat, (π) ac boni, & probati, Scriptores illis debeant commendari, & proponi. Clarius verò ut loquar, perswasissimum mihi est, ab iis Ciceronem legendum esse, qui vel sacrarum literarum dediti sunt studio, & Theologi sibi tribuunt nomen: Vel legum forensium periti sunt, & tum in foro agunt causam, ac clientelam in se suscipiunt, tum aulicis impliciti vivunt negotiis; Vel medicinam, artem illam nobilem, addiscant: Vel profiteantur Philosophiam, quam noster olim Cicero *animi medicinam* rectè salutavit. Hi universi, si nomen alias, quod affectant, tueri velint decenter, atque ad illud, quod docent, accommodare orationem, necesse habent, (ε) ut in Ciceronis inquirant scripta, eaq; sibi reddant familiaria.

§. 5. Dum ergò habent constitutum, in Cicerone quærere delicias, & aurum inde reportare, meo judicio lectione non solum cursoria ipsis opus est, quam non male Dn. Sagittarius (σ) commendat, sed accuratiori

B 2 off. opib. etiam,

(π) Neminem à literarum studio excipi posse, sapientum evincunt ac probant præcepta. Principes verò quod attinet, & illis singulare ornamentum afferunt literæ, vid. B. Dn. D. Frid. Rappoltus in pec. disserr. de *Principe Docto*, Lips. 1666, & D. Jo. Christopher. Beccmannus in diatr. doctâ, de *Cognominibus Principum*, Francofurti 1683, ubi multa reperiuntur exempla eorum, qui diligentem studiis navarunt operam.: Qvibus adde D. Jo. Schulzen in disserr. Juris Publ. de *Philosophia Principum*, Francof. 1688, & Petrum Müllerum in *Præsidii Domus Illustris* cap. I. pos. 7. p. 13.

(ε) Necesitatem intelligo non absolutam, ita ut existimem, neminem inter Eruditos esse recipiendum, nisi qui Ciceronem, legendo devoraverit; sed hypotheticam, quatenus videlicet ista lectio conductit legentibus, eosq; confirmat & provehit.

(σ) De *Lectione Ciceronis* p. 23. Hæc vulgaris lectio pueris præsertim videtur esse necessaria, quia subacto nondum prædicti sunt

etiam, quæ diligentiam desiderat, & requirit industriam. Ad tria verò commodè revocare possum capita, & monstrare, quomodo lectio illa, quam eruditam nominare liceat, non sine fructu instituatur. Prosunt ergò Ciceronis scripta, & legenda sunt meritò, tūm ob verborum & loquendi peritiam, tum ob rerum, quibus abundant, cognitionem, & gravitatem, tūm ob imitandi, quam docere possunt, observationem.

§. VI. Quod primum spectat argumentum, multum ad hoc conferre videtur Ciceronis lectio, ut orationis genus purum sit, elegans, perspicuum, nitidum, aptum, numerosum, distinctum, & facile, ac omnibus ornatum virtutibus. Ciceronis enim oratio cum virtutibus illustris, & spectabilis, tum omnibus planè eloquentiæ generibus meritò est perfectissima. Ipse Cicero, cum Jo. Scheffero (τ) loquor, genus instituit suum quasi, atq; proprium, quod animi ejus magnitudini ingenij, conveniens videbatur. Hæc oratio ejus, ut perspicua, pura & venusta, (υ) multum valet ad ver-

borum

sunt judicio, nec argumenta illa, quibus referta sunt scripta, eorumq; pondus, commodè satî percipiunt. Quædam enim, at negare nemo potest, si vel Epistolas modò Ciceronis perquisiverit, reperiuntur, quæ res civiles illustrant, & statum considerant reipublicæ, vel consilia prudentum commemorant, quæ puerilem captum longè transcendunt, & notitiam efflagitant historiæ Romanæ, & morum rerum publicarum. Si ergò vulgaris aliqua lectio instituenda esset cum illis, quibus vires adhuc corporis pariter atq; animi desunt, vellem, ut ea tantum proponerentur, quæ cum ætatis captu, studiis & inclinationibus ipsorum convenient, reliqua verò ad ætatem adultiorem reservarentur. Vid. laudatus *Bæclerus* l. c. p. 6. sq qui circa hanc rem prolixus est, valdeque utilis.

(τ) l. c. p. 23.

(υ) Ita eam vocat *Bæclerus* l. c. p. 8.

borum conciliandam proprietatem, quam, *Vossio* judicante, (φ) diligenter semper amavit, & coluit. In epistolis illam non solum invenimus, sed etiam in orationibus, (χ) adeò ut errasse eum vix affirmare valeamus, & defendere. *Nemo nescit*, verissimè à *Sagittario*, (ψ) cui hâc in re multum debo, est dictum, *tantas in hoc parente eloquentiae virtutes esse*, ut si cum illis qualescunq; si qui sunt, errores comparentur, ne nominari quidem mereantur. Utile verò est, si quis Ciceronis scripta non sine commodo legere discupit, ut dictiones ejus diligenter excepit, & flexiones attentè consideret: Præter phrases, earumq; constructionem notet epitheta illa, quæ tam adjectiva sunt, quam adverbia, & eleganter verbis inserviunt, sermonemque nitidum magis reddunt: Nec cognata omittat vocabula & affinia, vel quæ his opposita sunt. In numero formando Oratorio, *divulsio*, *interpositio*, *antepositio*, & *postpositio*, adesse debent, quæ in Ciceronis lectione facilè qvis observare potest. *Divulsio* ea est, quando voces, quibus regulæ Syntacticæ immediatum dant nexum, interpositis aliis dirimuntur, v. g. verbum ab infinitivo, quem regit, adjectivum à Substantivo. Hujus medium quasi est interpositio, cum una vel altera vox, quæ venustatem habet, interponitur. In antepositione voces nonnunquam, quæ vi Syntacticæ collocationis sequi debebant, antecedunt, ut si adjectivum antepositorum legamus Substantivo, verbum nominativo: Ast circa postpositionem vocum tenendum est, eandem ut usurpet quoq;, quâ ipse Cicero est usus. Phrases itaq; commodæ si elegantur, & perspi-

(Φ) l. c. p. 25.

(χ) Idem l. 2. p. 26, inquiens: *In Orationibus Tullianis in primis imitabimur dictionem.*

(ψ) L. c. p. 10.

cū, omnis deinde sermo magnum accipiet ornamen-
tum. Necessarium siquidem est, in humanitatis studiis,
& quarumcunque professione artium, puro & polito ser-
mone (ω) res efferre, & describere.

§. 7. *Frustra autem is fuerit, (a) qui de stylo tantum cogitet, inque eo acqviscendum esse existimet, nec materiae insimul habeat rationem.* Rerum ergo optimarum, scituqve dignarum, cognitio delectat vehementer, & in secundo genere ad formandum judicium mirifice prodest; Locos etenim pertractat Cicero ex philosophia, qvam callebat (β) & amabat libere, (γ) desumptos, & gra-
vif-

(ω) Benè dixit Cicero l. i. de Officiis c. i. *Est Oratoris proprium, aptè, distinctè, ornatè, dicere.*

(α) Dicente Bæclero l. c. p. 7.

(β) Ex omnibus fermè ejus scriptis luculenter cognosci potest, eum philosophiae amantissimum fuisse pariter, ac peritissimum. Et l. i. c. i. suum instruit filium, ut non solum orationes suas, sed etiam libros de philosophia diligenter legat evolvatque. Magni verò se fecisse philosophiam libro 2. de officiis, c. 2. p. 191. sq. edit. *Grævianæ*, quæ Amstelodami 1688. prodiit, ac valdè nitida est, nec cum Sam. Rachelii, & Friderici Hildebrandi, qui pari industria & successu eruditos hosce libros notis illustrarunt, qvorum ista Amstel. 1686, hæc v. Lipsiæ 1678. lucem publicam aspexit, editionibus est negligenda, his verbis reddit testatum: *Quid est optabilius sapientia? quid præstantius? quid homini melius? quid homine dignius?* Hanc igitur qui expertunt, philosophi nominantur, nec quidquam aliud est philosophia, si interpretari velis, quam studium sapientiae. Sapientia autem est (ut à veteribus philosophis definitum est) rerum divinarum & humanarum, causarumque, quibus hæ res continentur, scientia: cuius studium qui vituperat; haud sane intelgo quidnam sit, quod laudandum putet. Nam sive oblectatio queritur animi requiesq; curarum, quæ conferri cum eorum studiis potest, qui semper aliud acquirunt, quod spectet & valeat ad bene beateq; vivendum? &c.

vissimis ad stuporem usque abundat sententiis, quae exempla vitae ac morum cum ex Graecis, (erat enim Graecè doctissimus, (δ) & immiscebat quandoque, perraro licet, (ε) non sine voluptate, græca) tum ex latinis autoribus suppedi-

(γ) Ast dum philosophiam didicerat, ita se conservaverat gerere, ut in nullius hominis juraret verba, sed ea, quæ recte ejus rationi videbantur congruere, vel admitteret, aut improbaret. Nos in diem vivimus, ait l. V. Tuscul qvæst. c.33. quodcunque nostros animos probabilitate percussit, id dicimus, itaque soli sumus liberi. Evidem volebat esse & Socratus, & Platonicus, ut lib. i. de Officiis c.1. inquit, & ipsum Aristotelem, summo ingenio virum lib. i. Tuscul. c. 7. laudabat, & longè omnibus præstantem & ingenio, & diligentia c. 22. appellabat, ast non tam judicium omne sibi met ipsi derogabat, sed bonum sectabatur diligenter. Bène itaque monuit Excell. Academiæ nostræ Professor, Dn. Lic. Joachimus Fellerus, in præfam. Plej. Septem Philosoph. & Philol. varior. Lips. 1666. proposito, Ciceronis verba, se haud invitum cum Platone velle errare l. i. Tuscul. qvæst. c.39. 40. cum judicio accipienda esse, atque intelligenda. Nimirum id innuit Cicero, audire placet Clarissimum hunc Virum ea de re satis accurrate differentem, doctrinam illam Platonis de animæ immortalitate (de hac m. ibi sermo est) adeo gratam sibi delenificamque esse, ut si maxime falsa ea sit, nihilominus malit cum Platone errare, quam cum negantibus animæ immortalitatem sentire recte. Atque adeo non tam Platonis autoritatem anteposuit veritati, quam dulcedinem opinionis de immortalitate animæ commendavit.

(δ) Coluisse cum Graecas literas vel ex eo nobis constat, quod usque ad Præturam Graecè semper declamaverit, observante Jac. Pontano l. 9. Philocal. c.16. p. 352. easdemque filio suo, l. i. de officiis, diligenter commendaverit, ut proprio suo discat exemplo, ad utilitatem semper cum Graecis Latina conjungere, neque id in dicendi exercitatione solum, sed etiam in philosophia.

(ε) Sed cum Graecis imbutus esset literis, in scriptis suis rarissime
Græ-

peditant. Ex horum lectione, diligentique observatione nascitur prudentia, & judicium robur accipit magnum. Non immerito inde vitæ nostræ præcipuum adjuvamentum est, & præclarum ornamentum.

§. 8. Per partes ire placet, & breviter, strictimque percensere omnia. Universi enim pro ratione, modo que studiorum, invenient in his, quæ proficia ipsi erunt ac scitu necessaria. Istis, qui splendido gaudent sanguine, & Majores enumerare possunt inclitos, tam quoad doctrinam augendam, & ornandam, quam quoad mores formandos, fingendosque, libri, quos scripsit, de officiis, legibus, multum prosunt, & cum orationum forenium volumine scientiam eorum mirum in modum locupletare possunt. Et si vel nullum adesset argumentum, quo vel Principes, vel Heroës, aliqui non tam præcise studiis navantes operam, ac fructum, ceu nos facere solemus, ex iis desiderantes, in vita ad sustentationem necessarium, ad Lectionem Ciceronis persuaderi possint, existimarem, id propter causæ vel unice instituendam esse, quo eloquentes fiant, dicendiisque periti. Nihil gratius est, sapientissimum Emanuelis de Naxera (ζ)

pro-

Græca protulit. præcipue in orationibus, ubi tria tantum, ceu Aug. Buchnerus de commutata ratione dicendi p. 137. notavit, reperiuntur loca, in quibus græcis tantum usus est vocabulis. Metuebat enim, ita laudatus Buchnerus l. c. p. 601. sq. observat, ne id ingratum molestumque esset Romanis auribus, ut maximum partem insuetis talium. Deinde ne principis populiglorie detrahere velle videretur, qui Græcorum Poëtarum carmina magis, quam Romanorum laudaret. In ceteris vero libris, qui ad Philosophiam pertinent, aut ad dicendi artes, passim Græcorum autorum testimonios & locis utitur: inde enim omnis eruditio fluxit; et atamen lege, ut non nisi latinè versa adducat.

(ζ) Toletani, è societate Jesu, sacrarum literarum interpretis,
Regi

pronunciatum est, lingua eloquenti, sapientique; hæc e-
nim, quod primum in homine est, mentem reluminat, mores
instruit, eloquii beneficio iracundiam temperat, & animum
perturbatum tranquillat. Eloquentia, dum grata dulce-
dine aures captat, dum se nitida facundia animum differe-
nat, laudabili beneficio circes ad instar affectus mutat, &
iracundiam in benevolentiam transformat. Morum præ-
cepta ac sententiæ illæ, & piæ, & rotundæ, qvæ passim
in lectione nostri occurunt oratoris, doctrinarum Chri-
stianarum defensori commendandæ sunt, quo sceleratos
iisdem convincere possit, atqve ad melius vitæ hortari
genus. Familiares sibi reddat de *Natura Deorum*, qvi ejus
circumferuntur nomine, libros, qvippe qvi tam eximia
& non spernēda complectuntur argumenta, ut in atheos,
qvorū nostrum feracissimum est seculum, haud leviter iis-
dem animadvertere queat. Turpe verò esset Juris Civilis
Cultori, si Ciceronis negligeret monumenta, neqve illa,
qva par est, dexteritate contereret. Ipsius *Epistola*, qvas ad
Atticum perscripsit, prudentissima tradunt consilia de gra-
vissimis reipublicæ negotiis, & qvæ totius belli civilis de-
scribunt historiam. *Orationes* iterum commemorare
nolo, vel prolixo celebrare sermone, cum nec ullum
fugiat horum, legum Romanarum cognitionem, & ve-
teris Reipublicæ statum judiciorumque formam ex iis-
dem cognosci posse, atqve perspici. Ad Medicos dein
fructum lectionis Tullianæ pertinere sentio, cum non
raro contineantur qvædam in iis, qvæ diligenter ab illis
observari debent. Ipsos philosophos qvid lectio hæc do-
cere possit, nemini ignotum est, qvi vel leviter saltim au-
rea ejus aspicerit opera, gravissimasq; sententias legerit.

C

Vir-

Regiiqve concionatoris, P. n. *Excurs. Moral.* in *Libr. primum*
Regum, p. 336. *Lugd.* 1672.



Virtutem laudarem, & actum prorsus agerem, si prædicarem Ciceronem, quem egregiis refertum dictis novi, & quæ omnes habent in deliciis, nec sine gaudio exosculantur.

§. IX. Secundum tertium genus aptam in Ciceronis lectione observo imitandi rationem. Etenim cum ipse Cicero magnum illum Atticæ eloquentiæ principem, Demosthenem, non semel prædicaverit, atque imitatus sit, & locos quosdam ex Philosophis antiquissimis, Platone puta, Aristotele, Isocrate, aliisque Græcis autoribus petierit, multum vicissim juvare poterit exemplum ejus, ad colligendam quandam, & concipiendam rectæ probæque imitationis formam. Consistit vero imitandi ratio, laudati Morhofii (ⁿ) verba adduco, non in eo, ut consuantur passim è Cicerone sententiae, quod Itali nonnulli κανόζηλοι fecere; sed ut similitudine aliqua omnis autoris dictionem, formam, phrasin, sententiam, numeros exprimas; Quæ non nisi à perfecto Oratore demum præstari possunt. Nobis hic sufficerit, si dictionem aliquà ratione expresserimus. Præcipue autem imitatio Ciceronis non æstimanda est verborum religione, sed dictionis puritate, & splendore, gravitate sententiarum, & numerosa oratione. Instituti non permittit ratio, ut exempla imitationum afferam, ac formulas consignem, cum Celeberrimus Morhofius (^g) singulari industria non ita pridem conceptas nobis tradiderit, meque labore hoc sublevarit. Prætereo ergo iam alios, à Sagittario, (ⁱ) & Morhofio (^x) laudatos, qui de Ciceronis imitatione eruditè scripserunt.

§. X.

(ⁿ) l. c. p. 472.

(^g) l. c. p. 473.

(ⁱ) de *Imitatione Ciceronis* p. 33. sq.

(^x) l. c. p. 470.

§. X. Ast dum Ciceronis lectionem amicè svadeo singulis, vehementerque ob elegantem commendo dictionem, nec tam superstitosus ac religiosus esse volo, & scolorum, qvos novi (λ), ac detestor, morem imitari cupio, eas ut rejicerem dictiones, qvæ in Ciceronis scriptis non leguntur. Meo judicio, inquit Maresius ille, (μ) nimium superstiosè Ciceroni addictos, ut qvi nusquam ab eo recedere, & nullum verbum, nisi ei usitatum, usurpare audeant. Hodierno enim tempore multa recepta sunt vocabula, qvæ, licet non à Cicerone adhibita, bona tamen & genuina judicamus, rectèque admittimus. Theologorum loquantur pulpita, Ictorum & Medicorum prodeant schołæ, & Philosophorum audiantur sermones, qvi vocibus eqvidem utuntur novis, ast rem, de qvā agunt, perspicuè & clarè exponunt. (ν) Nemini ergò religio sit, ea negligere

C 2 re

(λ) Fuére olim quidam, nimii Ciceronis amatores, ejusq; ad superstitionem usq; studiosi, (qui, num Ciceronians, aut Ciceronianis, dicendi sint, non dispuo) existimantes, nullam vocem latinam admittendam esse, quæ non in Ciceronis legeretur voluminibus, & nihil, qvod in iisdem extaret, rejiciendum; In eorum censum referendi sunt *Christophorus Longolius*, *Petrus Bembus*, & *Jacobus Sadoleetus* all. B. *Jac. Thomasio*, in diss. de *Styli Ethnicismo*. Lips. 1666. §. 9. not. o. Qvibus *Nosoponum* addimus, notante *Ant. Borremansio* in *Var. Lection.* p. 25. De Ciceroniano verò *Erasmi*, qvid sentiendum sit, ipse *Borremansius* l. c. videri potest: Refutavit hoc scriptum *Jul. Cæs. Scaliger*, ast hunc postea istius pœnituisse facti *idem* refert l. c. p. 27.

(μ) l. c. p. 259.

(ν) Pluribus hoc deducerem argumentum, ni ab Excell. Dr. L. Ad. Rechenberg/ in eruditâ Dissertat. de Eruditorum loquendi licentiâ, Lipsiae 1669. luculenter istud præstitum esset:

Quam

revocabula, quæ nostro demum nata sunt tempore, &, cum necesse non sit, antiqua Ciceronis in eorum locum substituere. Fas est, quantum fieri poterit, imitari Ciceronem, æquum vero, si integrum non sit, ab illo deflectere. Neque enim omnibus de rebus scripsit Tullius, verba G. J. Vossii (o) adduco, ideoque nec omnium rerum vocabula peti pos-

Qvam eo nomine adducere heic volui, & prædicare, quod instituto meo non parum præbeat commodi atque illustramenti. Stylum qvod attinet philosophicum, parum rectè isti videntur sentire, qui omnes res verbis Ciceronis efferre volunt, & perspicuitatem ideo vitare. Faciunt sane næ intelligendo, ut nihil intelligent! Boni autem Doctoris est, placet cum eo loqui, cui multum debeo, Dn. Rechenberg ex dissert. prælaudatâ, §. 23. rem perspicuè proponere, qvod interdum rotundo termino licet novo fieri potest. Non curet semper quid bene sonet, & an Ciceronianam latinitatem oleat; sed quid bene judicet atq; intimet. Eadem sunt, quæ Jac. Saurius in System. Log. p. 492 consignavit: Philosophus potiorem curam habet rerum, quam verborum, nec attendit, quam ornatè, sed quam propriè, rotunde, significanter & acutè rem exprimat. Illud interim curæ est cordiq; Philosophis, ut barbaras, quæ Scholasticis Doctoribus se probarunt, non admittant locutiones. Vid. Dn. Kirchmajerus in Dissert. ad Ciceronis Oratorem perfectum, p. 48, ubi plura circa hanc rem observavit. Placet tamen addere verba Max. Rev. Dn. Job. Schieferdecker Patroni mei venerandi, quæ in præfat. disserr. phil. de potentia DEI & creaturarum, infinita & finita, Leucopetrae 1667, ita concepit: Potes non sordide, non barbarè loqui, etiam si non ornatè loquaris. Qui disputat, aut alias vel seipsum vel alios docet, de quo jam tantummodò queritur, præprimis si circa res subtiliores occupetur, quod distinctius & simplicius animi sui sensa protulerit, eo melius utiliusq; docuisse existimabitur. Reliqua, licet valde erudita sint, ob chartæ angustiam afferre nequeo.

(o) In Institut. Orator. p. 14.

possunt è summo qvidem illo, attamen non solo latina lingvæ autore.

§. IO. Patris verò antiquissimi, eruditissimique, & qvem secula celebrant, Hieronymi^(π) autoritas, nullatenus movebit nos, qvæ omnem olim Ciceronis lectiōnem impugnavit fortiter, nobisque tantam invidere voluit felicitatem, ut in Ciceronis scriptis qværamus delicias, ac decenter iisdem fruamur. Sed edoctus meliora dissentio modestè,^(ε) & tantum temporis lectioni huic

C 3 jucun-

(π) Epist. 22 ad Eustochium, de custodia virginitatis, Tom. I. Opp. p. 94, qui memorat se per somnum coram tribunalī Christi plagas accepisse, quod Cicero paulò familiarius usus, Ciceronianus magis esset, quam Christianus. Insolens vero hoc somnium est, ut recte dicit Dn. Christophorus Cellarius in Oration. p. 581, nec tuto ipsi credendum.

(ε) Opponimus enim Hieronymo alium antiquæ Ecclesiæ Doctorē, Lactantium videlicet, qui diligenter & crebro Ciceronem legit, & præclarā ex eo desumpsit imitandi rationem, inde modò Tullius Christianus, modo Cicero Christianus est salutatus. Vid. supra laudatus Dn. Thomasius, admirandæ eruditioñis Vir, in cit. diatr. §. 7. not. l. Augustinum huic addo, quem Ciceronianæ lectionis non ignarum fuisse, præclara Ejus testantur monumenta, quæ provida ætas conservat, & fovet. Cæterum nec habet adversa pars quod opponere nobis possit. Si enim illud urgere velint, Gentilium libros non esse tolerandos, aut à Christianis legendos, inanem plane suscepturi essent operam, & quæ ab eruditissimis Viris solidis responsionibus expedita est atq; confecta. Vid. Jo. Conr. Dietericus in Proleg. Antiquit. Bibl. Vet. Test. p. 1. sqq. Jo. Saubertus in Prodromo Philol. Sacrae p. 7. Vener. Dn. Rechenberg/ l. c. §. 16. Meritissimus Dn. Cellarius Orat. 4. p. 577 sq. aliiq; à Sagittario l. c. p. 6. sq. allegati. Commendo eos libros, quatenus boni sunt, & præcepta tradunt optima, cum eleganti stylo conjuncta, improbare verò illos sustineo, quatenus styli fovent Ethnicissimum, & mala docent.

jucundæ impendendum esse censeo, quantum vel divi-
num præceptum (σ), vel arbitrium nostrum (τ), vel ipsa
denique necessitas permittunt. Paucis complector
multa, idque innuo, ob virtutes, quas habet, Ciceronem
legendum esse, secundumve, ob vitia (v) verò non imi-
tandum.

(τ) Hoc volo: Nullum tempus Scripturæ sacræ detrahendum esse
lectioni, ut *Angelus Politianus* olim fecit, teste *Gvili-*
Saldeno de Libris, p. 434, & *Claudius Belurgerius*, Pro-
fessor Parisiensis, de quo *Jo. Bisselius Ill. Ruin. Dec. 3.* p. 684 le-
gendus est, & ex eo *Adm. Rev. Dn. M. Jac. Daniel Ernesti*, P. 2.
der *Confect-Taffel* p. 22, & profanæ Ciceronis lectioni conse-
crandum, sed omnia debere fieri ordine, & moderatè, & ju-
diciosè.

(σ) Voluptas adesse debet, & *amor Tulliane lectionis*, ut *Sagittarius* l. c. p. 20 loquitur, aliàs si invita negotium suscipitur
minerva, opera perditur & oleum.

(v) Vitiis laborasse Ciceronem, negari non potest, vid. *Sagittarius*
l. c. p. 7, Et *Vossius in Inst. Orat.* P. 2. p. 180 ambitionem ejus
his verbis describit: *Nulla pénè Tullii oratio est, in quâ non me-*
minerit gestorum à se in consulatu suo. Perspicere itaq; ne-
queo, quamobrem *Dionysius Lambinus* all. *Pontano* l. c. l. 6.
c. 22. p. 215 eum his tam egregiis commendaverit verbis: *Fuit*
in illo viro singularis justitia, temperantia, moderatio, frugalitas,
abstinentia, lenitas, innocentia, castitas, sanctimonia, integritas,
fides, continentia, probitas, prudentia, fortitudo animi, magni-
tudo, & despiciens rerum humanarum. Judicent alii, meum
est jam silere.

CO-

COROLLARIA.

I.

Hyperbole non est mendacium.

II.

Jus publicum versatur circa historiam.

III.

Taciti lectio Principibus est commendanda.

IV.

Dantur Propositiones inusitatæ.

V.

Emanuelis de Naxera Excursus Morales in libros Regum , ob dictionis levitatem , & rerum gravitatem , meritò , ac diligenter , leguntur.

VI.

Brutis honor non est deferendus.

VII.

Hospitiorum Jus antiquum est.

VIII. Mo-

VIII.

Monasteria Pontificiorum ab one-
ribus tempore belli Turcici non
penitus exempta sunt.

IX.

Promissio ob causam turpem non
est obligatoria.

X.

Agricolarum Regulæ sunt fallaces.

XI.

Sudor Christi sanguineus non fuit
naturalis.

XII.

Motus Terræ Tempore Passionis
Christi fuit supernaturalis.

XIII.

Dionysius Areopagita de labore
Solis, laborante Justitiae Sole,
proximè post Autores facros
non scripsit.

XIV.

Ista verò obscuratio Solis præter
naturæ ordinem contigit.

¶ (o) ¶

01 A 6541

f



3

IA → OL

kor
vD 17

Farkkarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



Facultatis Philosophicæ,
In
MIA PATRIA,
RTATIONEM.

De
TORUM
ERONIS
CTIONE,
LOCO
cultate obtinendo,
riori vice

P.P.
IUS HENRICUS
SEZIUS,
eolog. Baccal.

Mart. A. M. DC. LXXXIX.

LIPSIAE,
TOPHORI FLEISCHERI.

*Magnifico als Corp
J. G. C. Aero
Palma*